



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XLIII. De Appellante à laudo Arbitri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

Opposita vim non habent. Non licet enim læsus habeat actionem in rem adversus alienantem, si à possessore rem avocare non possit, adversus quem habet actionem in rem directam. *l. un. C. b. t.* tamen propterea non privatur remedio extraordinario actionis in factum, quia licitum est in præsentia remedii ordinarii adhibere extraordinarium, si tendunt ad fines diversos, & extraordinarium est pinguis: sed tendunt ad diversos fines, quia actio in rem ad rei perfectionem, actio in factum ad interesse, damna, & expensas resarciendas: quod adeò verum est, ut etiam post rei persecutionem & evictionem a possessore, cum quo actor experiebatur actione reali seu rei vindicatione, possit postea actionem in factum in sumere contra alienantem etiam quoad expensas illas, quas facere debuit

propter duriorem adversarium, & quod plus est, licet in Judicio à possidente fuisset victus: quas expensas ratione durioris domini factas, & casu, quo causâ cecidisset contra possidentem, quia repetere non posset instituta actione in rem, apparet, quòd actio in factum etiam sit remedium pinguis. Non II. Quia illa remedia spectant & irritant alienationem rei jam litigiosâ, & lite jam coepta factam, hæc autem actio in factum alienationem spectat (non irritat) factam ante litem, quæ primùm movenda timetur. Non III. Quia per hanc actionem in factum non impeditur alienatio rei ex causa judicii mutandi, non enim eò tendit, ut alienatio rescindatur, sed tantum propter dolum alienantis læsus repetit expensas, & interesse, seu in quantum interest læsi rem alienatam non esse.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

DECISIO XLIII.

De Appellante à Laudo Arbitri.

SPECIES FACTI.

Ulpianus ex Canonico Ecclesiæ Collegiæ S. Viti factus Decanus præter aedes Decanales, quas modò incolit quâ Decanus, volebat retinere

priorem domum Canonicaem, eamque pro censu annuo elocare sæcularibus, simulque restaurationem redituum Decanaliū, quos ante sæcu-

ff 2

lum

lum percipiebat Decanus, fieri à Capitulo; at Capitulum in utroque se opposuit, asserens, domum Canonicalem secundum statuta modò ad alium Canonicum, qui nullas adhuc ædes incolit ad Ecclesiam pertinentes, devolvi, reditus autem, sicut Antecessoribus Decanis sufficiebant, etiam Sulpitio suffecturos. Ut autem declinarent lites æquè molestas ac pretiosas, atque facile scandalo diffidisque inter fratres occasione præbituras, mutua conventionione compromi-

serunt in Decanum alterius Ecclesie Collegiatæ, nimirum S. Bartholomæi in eadem urbe, ut is velut arbiter laudò pronuntiatiò negotium & diffidites componeret. Arbiter iste peritis utriusque partis fundamentis pronuntiavit in favorem Capituli; qui verò Sulpitius hoc laudo, seu arbitrio graviter se læsum credidit, ab eodem appellavit ad Episcopum, tanquam Iudicem Ordinarium. An bene, patet ex decisione

QUÆSTIONIS.

An à Laudo, seu sententia Arbitri, detur Appellatio?

Dixeris, id esse extra dubium propter claros textus in l. 9. ff. qui satisd. cog. ibi: *arbitrio ad fidei iussores probandos constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo, atque à Judicibus, appellare licet.* & in l. fin. C. de Judic. in f. ibi: *executore negotii - - statuta ab arbitris effectui mancipante, nisi fuerit provocatum, id est, appellatum; ergo appellare ab arbitro & ejus laudo Jura permittunt; eoque magis, quòd compromissum, seu arbitrium, ad similitudinem Judiciorum redigatur, ut loquitur l. 1. ff. de receptis, qui arbitrium. ergo, sicut à sententia Judicis, ita à sententia arbitri appellare licet.*

Rectius tamen dicas cum communi, appellationem ab arbitri compromissarii laudo non dari. Ita supponitur in l. 32. §. 14. ff. eod. & claris terminis definitum est in l. 1. C. de re-

ceptis arbitris ibi: *ex sententia arbitri ex compromisso (seu compromissarii) jure perfecto aditi, appellari non potest. sepe rescriptum est: quia nec judicium inde præstari potest.* Ratio patet ex eo, quòd partes liberè compromittendo & consentiendo in arbitrum vel arbitros, relicto processu Judicarii remedio, ac Judice, à quo iniquam ferat sententiam, sciunt appellacionem, censentur tacite se obligasse ad parendum laudo arbitri, appellationi renuntiassè. Unde Ulpianus in l. 27. §. 2. ff. eod. dixit: *qui autem debet sententia Arbitri, quum laudo re dixerit, sive æqua sive iniqua sit, non sibi imputet, qui compromissit.*

Nec tibi scrupulum moveant leges in contrarium adductæ, quia non loquuntur de arbitro compromissario, quem partes spontè eligunt data potestate controversiam laudò

decidendi, sed de arbitro Juris, seu
necessario, quem non sponte, sed ex
Juris, vel legis præcepto eligere de-
bent, uti quando dubitatur, an fide-
jussores sint idonei, de quo casu ser-
mo est in l. 9. cit. *§ seq.* vel quando
dubitatur de causa recusandi Judicem,
de suspectum, de quo casu procedit
text. in l. fin. C. cit. Arbitria, seu com-
promissa, sunt quidem redacta ad si-
militudinem Judiciorum, seu aliquam
cum Judicis similitudinem habent,
maximè illam, quam exprimit l. 1. ff.
ut quod serviant ad finiendas lites
sunt Judicia: item quòd arbiter de-
beat observare formam Judicii, ordi-
nemque actuum Judicialium. *per l. 27.*
cit. §. 4. c. 10. b. t. nisi ultro hanc ipsi
obligationem remittant compromit-
tentes; tamen non in omnibus Arbi-
ter convenit cum Judice, & Arbitri-
um cum Judicio; nam arbiter non ha-
bet Jurisdictionem, nec ex pronun-
tatio seu laudo arbitri oritur actio, vel
exceptio rei Judicatae, uti tamen Ju-
dex Jurisdictionem obtinet, ac ejus
sententia parit actionem Judicati &c.
quid ergo mirum, si nec à sententia
arbitri detur appellatio? cum huic re-
mittaverint compromittentes, & Ju-
ris resistant in l. 32. ff. *§ l. 1. C. cit.*
Quæres, an ergo nullum superfit
Sulpitio remedium adversus laudum,
quo credit se graviter læsum? Nul-
lum, nisi fortè probaverit factis, quòd
arbitr ex inimicitia, vel corruptus

pretio sententiam dixerit; tunc enim
apud Judicem Ordinarium, seu Epi-
scopum, impugnare eam potest doli
exceptione, ut retractet sententiam
arbitri. l. 32. §. 14. cit. l. 3. C. de re-
ceptis arbitris. quæ exceptio doli in
d. l. *§ §. 14.* dicitur esse species Ap-
pellationis, sed abusive. Idem dic,
si Sulpitius probaret evidentissimam,
& enormissimam læsionem. l. 3. *§ l.*
32. §. 14. cit. Recept. Imper. de an. 1594.
§. 10. Gail. l. 1. observ. 150. n. 9. Atque
in his duobus casibus laudum arbitri
potest reduci (vel redigi, ut alii lo-
quuntur) ad arbitrium boni viri, h. e.
submitti à parte læsa Judici (qui in Ju-
re vocatur *vir bonus. l. 18. ff. Judicatum*
solvi.) competenti, qui nimirum seclu-
sa compromissione fuisset adeundus,
ut laudum, seu sententiam arbitri, re-
videat, corrigat, & annullat. In aliis
autem casibus non permittitur reductio
laudi ad arbitrium boni viri, uti con-
tra Besold. Menoch. *conf. 40. n. 6.*
Maranta de *Appellat. n. 259.* docet
Christinaeus, Lutterbach *Colleg. pract.*
de recept. arbit. 1b. 37. P. König ad h.
t. n. 24. quia laudum etiam iniquum
subsistit, l. 27. §. 2. cit. l. 76. ff. *pro So-*
cio. Aliud est de arbitramento arbi-
tratoris, ad negotium amicabiliter,
non quasi Judicialiter, ex æquo &
bono componendum constituti, quod
reduci juxta omnes potest ad arbitri-
um boni viri, l. 76. cit.

